EXAMINIS

ANNI MDCCCXXXII

VERNALIS IN GYMNASIO MERSEBURGENSI SOLENNIA CELEBRANDA

OBSERVANTISSIME INDICIT

CAROLUS FERDINANDUS WIECK

RECTOR ET PROFESSOR.

PRAEMISSA EST ORATIO

QUA

CYRI DISCIPLINA PUERILI CUM GYMNASIORUM RATIONIBUS COMPARATA DISCIPULIS CYRI EXEMPLUM IMITANDUM

PROPONIT

CHRISTIANUS WILHELMUS HAHN

AA. LL. MAG. ET PHILOS. DOCT., GYMN. SUBRECTOR.

MERSEBURGI

LITERIS HAEREDUM KOBITZSCHII.

Cur huic scribendi officio a muneris mei rationibus mihi imposito aliquo modo a me satisfieri posse mihi persuaserim, si sequentis orationis edendae consilium cepissem, ea de re paucis praemonendum esse videtur. Quum enim muneris mei partes ad secundam potissimum gymnasii classem pertineant, saepe vidi accidere, ut tirones, quales quidem ad hanc accedere solent, ubi primum scriptores gravioris argumenti iis legendi proponuntur, ab initio rem quum nimis severam, tum a suae juvenilis aetatis rationibus nimis alienam, certe non talem inveniant, qualem cognovisse sua magni interesse videatur. Qua quidem ex re ne damnum inferretur ipsi lectioni utilissimae, nonnunquam, ubi omni verborum vi et rerum grammaticarum ratione exposita sententiarumque nexu demonstrato justa longioris alicujus loci ex scriptoris sensu aetatisque ingenio facta erat explicatio, conatus sum brevi ostendere, quam facili negotio, quae ab auctore in medium prolata erant, in ipsorum rationes transferri possent, ita ut idem haec omnia non ad quosvis alios homines edocendos scripsisse, sed ipsos nunc docere vel monere, nunc vituperare vel dehortari voluisse videretur. Hic quidem me non latet maxime cavendum esse, ne quis vana et inepta disputandi libidine captus sive tempus primario lectionum consilio tribuendum detrahat, sive ea omnino afferat, quae,

quum a discipulorum aetate, cognitione, judicio, officiis plane aliena sint, aut prorsus non intelligantur, aut in causa sint, ut illi, si intelligere sibi videantur, arroganter de se sentire consuescant, tandemque magis desipere, quam sapere discant. Quanquam vero haec omnia diligenter cavenda esse censeo, de iis tamen rebus, quarum cognitio discipulis, quum in eorum rationes et intelligentiam caderent, vel paranda, vel augenda, vel novis exemplis et rationibus illustranda esset, tacere nolui, quum harum rerum opportunam commemorationem, cujus multa ubique est in veterum libris occasio, et multum valere ad juvenum animos fingendos, et eos ad veteres scriptores propensiore et acriore cum studio legendos plurimum invitare atque allicere satis animadvertissem. Nulla enim re magis delectantur, quam tali rerum veterum cum recentioribus comparatione, qua quidem doceatur, posse id, quod aeternam veritatis naturam habet, licet tempora sint disjunctissima rerumque status diversissimi, facillime tamen ea diversitate, quae ex ipsis temporibus oritur, excepta ad nostras rationes accommodari in nostrumque usum converti. Sic vero simul eo deducuntur, ut explorent, an, si sibi de his rebus suis vel dicendum vel scribendum fuisset, rem ita exprimere valuissent, quomodo id a scriptore factum esse vident. Qua quidem ex mutua et rerum et orationis comparatione quum intelligant, veterum scriptorum eam esse praestantiam, ut vitae sapientia sententiarumque gravitas conjuncta sit cum eximia rerum perspicuitate et perfecta orationis arte, magnum hoc nec aliunde tam facili et certa ratione hauriendum commodum se nacturos esse arbitrantur ex illis scriptoribus diligenter legendis, ut aliquando discant, qui in quibusque rebus exponendis habendus sit verborum delectus, qui sententiarum ordo tenendus, quae ad quamque rem demonstrandam causae sint adhibendae, quae rerum disponendarum ratio cuique consilio sit consentanea. Inprimis vero inde laetissimam spem concipiunt, jam nunc facilius se inventuros esse, quae et quomodo quaeque vel subito dicenda vel dato tempore diligenter perscribenda sint, si tales res sibi proponerentur dijudicandae, quae tum ad suas rationes proxime accederent, tum aliquam cum rebus illic expositis haberent similitudinem. Recte vero! sic enim in veterum libris exempla sibi proposita cernent, quae imitatione exprimere possint, neque vero servili illa, quam ad singulas potissimum voces adstrictam

superiorum aetas laudavit, sed liberiore quadam ad totam res tractandi indolem ac rationem spectante. Quae spes ne per me falleretur, iis, quibus hic primum dabatur, ut, quae ipsi de re aliqua sentirent, vel ex tempore dicerent, vel domi consilio accuratius ponderato perscriberent, tales locos proponebam tractandos, quibus evitaretur quam facillime, ne iidem in periclitando propterea, quia res aut nimium difficultatis, aut parum oblectationis habere videretur, omni invitatione carerent vel potius deterrerentur, neve, si propter infelicem successum magis vituperandi essent, quam laudandi, eos operae impensae poeniteret. Hinc etiam factum est, ut hilari animo haec pensa discipuli plerumque susciperent, laete animadvertentes, posse materiam sibi subjectam ea quidem facultate, qua praediti essent, eaque scientia, quam paratam haberent, a se tractari atque subigi. Quae animi laetitia, qua quis ad rem, quae ipsi peragenda proponitur, tractandam se accingit, ut testimonio est, ipsius ingenio et viribus eam esse consentaneam, ita tum demum etiam recte inventum et electum esse exercitationum genus judicabam, si alacri ac vivido animi motu plerosque saltem ad id perficiendum ferri viderem, quod quidem meum judicium plerumque ex prospero successu mihi comprobatum fuit.

Jam quum ante aliquot annos primum Xenophontis Cyropaediae librum explicassem, cujus plures loci causam dederant talia monendi, accidit, ut mihi ejus orationis, qua examinis publici solennia inaugurare solemus, recitandae provincia demandaretur. Usus sum igitur data occasione, ut discipulis ipse talis argumenti exemplum exhiberem, ostendens, „quibus in rebus discipuli ardens excellendi studium, quo Cyrus puer (auct. Xenoph. Cyrop. I, 4, §. 4—15.) flagravit, imitari possint.“ *) Quae oratio quum plures discipulos non solum ita delectasset, ut, quod audiendo non satis percepisse sibi videbantur, legendo repetere ac melius intelligere cuperent, sed etiam id, quod tum speraveram et concupiveram, effecisset, ut plures, qui Xenophontis Cyropaediam nondum legerant, eam domestico studio tractarent, spes inde mihi enata est, me et eorum discipulorum, qui nunc nostri sunt, et eorum, qui alias scho-

*) Cf. Progr., quod prodiit anno MDCCCXXX, p. 45., ubi hoc illius orationis argumentum fuisse relatum legitur.

las frequentant, commodis esse inserviturum, si illam orationem hac quidem commoda opportunitate oblata publici juris facerem. Quod quum apud me constituissem, mox vidi, plures locos, quam quibus illic usus eram, et posse adhiberi, et ita adhibendos esse, ut comparatione omnium vitae scholasticae rationum cum Cyri institutione facta magis perfecta et suis numeris absoluta exhiberetur Cyri imago, quae discipulis ad imitandum proponeretur. Ne igitur aut omni opera supersedere voluisse, aut jucundiorem et utiliorem orationem reddere noluisse viderer, fines prioris illius orationis ita promovi argumentumque amplificavi, ut ea nunc omnem Cyri puerilem aetatem et disciplinam cum omnibus vitae in gymnasiis degendae rationibus comparatam amplectatur. Qua quidem ipsius argumenti ratione mutata quanquam paene tam nova evasit oratio, ut nunc magis de integro facta, et ficta potius, quam vere habita merito dici possit, tamen eam formam ac speciem, qua habitae similitudinem refert, ideo nolui penitus obliterare, ne eadem illum colorem ac habitum exueret, quo argumenti tenuitati excusatio parari posse videbatur. Eodem consilio retinui exordium, quia, quam veniam virorum doctorum tunc audientium mihi necessariam duxi, eandem nunc legentium etiam magis exorandam ac vehementius concupiscendam esse puto. Quod vero perorationem quoque retinui, duae sunt causae, altera, ut, quicunque discipuli orationem legerint, eo propensiore animo consilium monitis obtemperandi capiant, quo laetiore animo viderint, neque ipsum praeceptorem detrectavisse officium, id Cyri exemplum imitandi, quod discipulis imitandum proposuerat: altera vero, quia orationis finis discipulorum animos convertit ad examinis solennitatem, cui uni hanc orationem qualemcunque dicatam atque consecratam volui. Eos autem locos, quibus in illa oratione prius a me vere habita me usum fuisse supra dixi ad argumentum illud tractandum, hic quidem propter simile exempli proponendi atque ad imitationem adhortandi consilium non adhibere non potui, sed tamen, quum propter mutatum ipsum argumentum etiam mutanda esset rerum dicendarum descriptio et argumentationis ratio ac via, iidem repeti potuerunt eatenus tantum, quatenus ita huic consilio congruebant, ut viam hic initam sequi viderentur. Quarum quidem omnium rerum rationem hic mihi reddendam esse censui eorum causa, qui mihi orationem supra com-

memoratam recitanti audiendi benevolentiam, cujus memoriam gratissimo animo repeto, praebuerant. Sic certe cavere volui, ne quid, quod vel retentum, vel mutatum et additum appareret, aut simulare, aut dissimulare voluisse viderer.

Jam vero postquam, quae res causam dederit hujus orationis concinnandae, exposui, reliquum est, ut ad excusandam spem illam a me conceptam, qua discipulorum et nostrae et aliarum scholarum commodis inservire cupio, paucis dicam, quae res me eo deduxerit, ut talem quidem programmatum scholasticorum usum optabilem existimem. Quod enim poeta in universum cecinit: „—et habent sua fata libelli," id in nullum aliud libellorum genus magis cadere mihi videtur, quam in eos, qui programmatum nomine venientes custodes et conservatores raros, rariores lectores invenire solent. Ex quo igitur tempore per legem illam utilissimam ac sapientissimam gymnasiorum programmata mutua beneficentia in omnium scholarum communionem veniunt, haud scio an merito veritus sim, ne vel hoc modo, si mox multitudine superfusa aliud ab alio obrueretur, non satis illa fata praecaveri possint. Ut igitur fatali necessitati aliquo modo occurrerem, indicem conficere coepi, qui singuli cujusque programmatis argumentum iis verbis, quibus inscriptum est, exhibet, addito et auctoris nomine, et urbis, unde prodiit. Sic factum est, ut, si quis, quae legere sua interesset, videre vellet, facilius uno obtutu inveniret, et ex programmatum multitudine sic in ordinem redacta, duce numero adscripto, celerius et commodius promeret. Equidem vero quum ex hac perlustratione plures horum libellorum sive latina sive vernacula lingua scriptorum nunc orationem ad ipsos discipulos vere habitam, nunc disputationem juvenibus et utilem et intellectu facilem et saepe jucundam continere animadvertissem, novus, nec contemnendus, qui ex hoc genere scholasticis rebus capi possit, usus se mihi obtulit, quem, quia non compertum habeo, an alias jam factus sit, hic exponere liceat. Ut enim hujuscemodi argumenti programmata discipulis quoque, quibus usui esse possent, legenda traderentur, ipsa rei utilitas suadere mihi videbatur. Quam haud levem esse expertus sum, praesertim, ubi digito intenderam, quae, quomodo, quemque in usum quaeque legenda essent, et qualis lectorum locorum red-

denda esset ratio. Namque solent juvenes omnino id, quod sibi dictum atque suis rationibus accommodatum vident, et animo magis favente et studio alacriore legere, atque majorem ex verbis rebusque facilius intellectis utilitatem percipere. Ita igitur illam programmatum copiam non solum praeceptoribus, sed etiam discipulis usui esse posse scio, quum hi quidem hoc modo simul in usum cursoriae, quam dicunt, lectionis tale quid sibi oblatum habeant, quod plerumque desiderant, quum in veteribus auctoribus paene nihil, quod huic ipsi juvenili aetati scriptum ejusve rebus solis dicatum sit, inveniant.

Quod cum ita mihi persuasum habeam, non mihi timendum esse censeo, ne in reprehensionem incurram, si, quod ipsi hujus orationis edendae consilio meo consentaneum est, collegas meos, ubicunque sint, rogare audeo, ut, siquidem in hunc usum oratio mea ipsis probata fuerit, eam cum iis discipulis, quibus utilem fore judicaverint, communicare velint. Hanc ipsam ob caussam in commodiorem tironum usum locos praecipuos, quibus oratio ipsa nititur, ex Xenophonte citatos textui subjeci.

ORATIO.

Etsi vereor, ne in hac Doctissimorum virorum atque Ornatissimorum corona, qua me stipatum esse video, dicere incipientem minime deceat, de se ipso verba facere, quoniam, qui id sibi permiserit, suam omnibus aliis rebus praeferre videtur personam, tamen, quia ipsa materia, quam haec oratio sibi subjectam habet, excusatione eget, benevola Vestra, Auditores Honoratissimi, de me opinione fretus ac gratia, qua ab omni superbiae suspicione me tutum fore spero, mei mentionem facere fortiter audeo. Veniam enim mihi petendam esse censeo, quod, quum, hac quidem dicendi provincia mihi demandata, otium non suppeteret ad rem tractandam satis dignam, quae Vestro judicio subjiceretur, a subtiliore disputandi genere confugere non dubitavi ad populare quoddam genus dicendi. Quam veniam ut facilius mihi largiri possitis, perpendere quaeso velitis, ad multa, quae nunc sunt muneris scholastici officia, et ad negotia ejusdem quotidiana corporis aeque atque animi vires exercentia mihi quasi cumulum accedere eas curas, quas in disciplinae meae domesticae alumnos conferre debeo, ne quid dicam de meis liberis, qui item aliquam curae meae partem jure suo a patris diligentia exigunt. Quorum officiorum varietate quum animum distrahi, multitudine autem occupari appareat, nemo, qui hoc secum perpendere voluerit, certe mirabitur, non solum tempus ipsum esse solere angustius, sed etiam otium diffusius, quam quo bene uti liceat ad alia studia, quam quae in scholarum rationem cadunt, colenda. Neque vero om-

nino cuiquam recte judicanti improbari posse arbitror, si, qui multis occupationibus distentus sit, ita sibi caveat, ne neglecta publici muneris cura et officio majorem laudem in celebriore docti scriptoris nomine quaerat, ut potius in modestiore, licet obscuriore fidi et diligentis praeceptoris titulo acquiescere malit. Itaque neque ab hoc loco, neque ab hujus solennitatis consilio alienum mihi visum est, sumere orationi argumentum ejusmodi, quod praeter jucunditatem habeat admonitionem aliquam utilem discipulis nostris. Qua in re, quod adeo mihi indulsi, ut omnem orationem a Vobis, A. H., ad discipulos dirigere statuerim, id Vos, Viri Ornatissimi, pro magna, quae Vestra est, indulgentia et benevolentia mihi condonaturos esse spero eo magis, quoniam ipsa causa Vestrae jucundae atque honorificae praesentiae, qua juvenum nostrorum conventum ornare voluistis, satis Vos ipsos monet, quidquid sit hujus caerimoniae, id omne soli juventuti factum ac comparatum esse.

Jam vero, quum cuique coram viris ad juvenes dicenti difficillimum sit, utrisque satisfacere, quumque in Vestro, A. H., consessu celeberrimo honorificentissimoque verba faciens impedire non possim, quo minus rei ipsius veritas Vestro judicio subjiciatur, rogo Vos ea, qua par est, reverentia, ut judicis personam agatis ea aequitate atque indulgentia, qua humanitatem Vestram ornatam esse scio. Quum autem licet coram Vobis, tamen non ad Vos, sed potius ad juvenes totus sermo sit directus, eosdem Vos, A. H. obsecro, ut mihi absque omni docta et subtili dicendi ratione verba facienti ac paene balbutienti benevolentiam audiendi praebeatis, atque hanc sermonis rerumque simplicitatem condonetis vel imbecillitati meae, vel ipsi orationis consilio, quo, ut omnibus in rebus et institutis nostris, ita et hac oratione huic juvenili aetati prodesse ac consulere quum unice cupiam, ante omnia id mihi agendum esse putavi, ut ab his adolescentibus auribus ac mentibus possem percipi.

Itaque quum jam ad Vos, Commilitones Optimi, sese convertat oratio, Vos enixe rogo, ut pro laudabili consuetudine, quam Vestram esse gaudemus, animo attento eam audiatis. Quod quidem Vos, qui secundae classi adscripti estis, facturos esse eo promtius spero, ubi argumentum orationis desumtum videritis ex primo Xenophontis Cyropaediae libro, quem Vobis per hoc semestre, quod Deo auspicante faustum praeteriit, interpretatus sum. Vos autem, qui hic una adsidetis primae classis Cives, quanquam non adfuistis mihi illum librum explicanti, tamen non dubitavi ad eandem orationem audiendam invitare et orare, ut mihi verba facturo benevolum animum benignasque aures praebeatis, quoniam, sicut arbitratus sum, jucundam et utilem Vobis quoque futuram esse rem, quam tractabo, ita etiam facile fieri posse putavi, ut, si qui librum illum

nondum legistis, utilitate amoenitateque, quae ex eo legendo, ad vos redundare possit, intellecta, celeri impetu lubentique animo ad eundem domestico studio tractandum Vos accingatis.

Quaerenti enim mihi orationis argumentum Vestris rebus accommodatum obtulit se huic usui aptissima Cyri pueri effigies, qualem quidem Xenophon in primo Cyropaediae libro exhibet. Quum enim hoc libro Xenophon pro eo, quo totum opus adornasse videtur, consilio in Cyri vita puerili exemplum institutionis e Socraticae disciplinae praeceptis in puero regio feliciter factitatae proponere voluerit, haec insignis et ad summam virtutis puerilis perfectionem conformata Cyri pueri vita maxime digna videtur, quam diligentissime cognoscatis ac toto pectore et animo comprehendatis, praesertim quum et ad Vestram aetatem proxime accedat, et omnis Vestrarum rerum ratio, licet multis in rebus a Cyri vitae genere differat, tamen plurimis modis ei sit simillima. Universa enim Cyri pueri institutio cum singulis gymnasiorum institutis ita apte congruit, ut, si singulae hujus similitudinis partes paullo diligentius investigatae justa ratione componuntur ac inter se comparantur, haud multum absit, quin omnis Vestrae vitae scholasticae lex et ratio ad Cyri institutionis imaginem expressa atque adornata esse videatur. Haec igitur comparatio si nunc instituitur, Vos inde praeter eam jucunditatem utilitatemque, quae ex ipso comparandi negotio redundare solet, etiam majus aliquod et gravioris momenti commodum, quod ad studia Vestra et mores pertinet, reportaturos esse spero, et ut reportetis, cupio. Quum enim omnino haec sit exemplorum vis et natura, ut oblectando facillime simul persuadeant, et suavissime invitent ad imitandum, mirum in modum augebitur illa vis et invitatio, ubi ad hanc rerum similitudinem vel aetatis aequalitas accesserit, qua fit, ut, qui alterius res adspicit, non alienas, sed suas intueri videatur. Quodsi jam ex proverbio pares cum paribus facillime congregari dicuntur, aequalitas quoque alma mater atque optima conciliatrix favoris et amicitiae haberi debebit. Quare in hanc spem maximam ac laetissimam adductus sum, fore, ut si illa aequalitate quasi amicitia aliqua inter Vos et Cyrum contracta fuerit, Vos non solum legendo omnia, quae de eodem scripta sunt, in ejus familiaritatem aliquam veniatis, sed etiam, quum jucundissima sit amicitia ea, quam morum similitudo conjugaverit, Vos Cyri exemplum in omni excellendi studio imitandum esse putetis. Quid? quod etiam officio aliquo meo Vobis debito fungi mihi videar, si Vobis hanc imaginem exhibeo? Quum enim me non fugiat, plures Vestrum nonnunquam occulto gemuisse sive molem rerum nunc discendarum, quae jam nimis multae ac variae sint, quam quas juveniles vestri

humeri ferre valcant, sive nimiam celeritatem, qua eaedem res sint addiscendae ad tantos progressus angusto temporis spatio faciendos, quanti a vobis postulentur: nonne meum est, ut non solum exemplo studii flagrantissimi et progressuum celerrimorum proposito ostendam, quantum valeat indefessum studium et diligens cura, sed etiam demissos Vestros animos erigere, tristesque mentes exhilarare coner serena et laeta imagine Vestrarum rerum exhibita, quae, quum sit imago repercussa ejus effigiei, quam in puero illo Vobis imitando cernitis, Vos Vestris rebus ita reconciliare possit, ut easdem denuo adamare incipiatis, ac stabili fiducia novaque spe completi firmiore animo et laetiore mente studia Vestra redintegretis? Satis multas igitur et justas causas mihi esse videtis, cur hoc mihi orationis sumpserim argumentum, ut *Cyri disciplina puerili cum Gymnasiorum rationibus comparata Vos ad Cyri exemplum imitandum adhorter.* Itaque in hoc ipso orationis vestibulo et quasi aditu ad Cyri imaginem jam Vobis proponendam liceat mihi illa Terentii verba *) sic in usum meum convertere, ut Vos alloquar: *Inspicite tanquam in speculum in hanc Cyri vitam, atque ex hoc sumite exemplum Vobis.*

Jam ut ad rem ipsam adgrediar, praemittitur apud Xenophontem uberiori laudum expositioni splendida universae indolis, qua Cyrus puer praeditus fuerit, descriptio. **) Quam quidem eximiam praeclarae indolis laudem ideo hic quoque praemittendam esse censui, ut imago jam uno obtutu conspecta, necdum singulis suis lineis ac coloribus distincta Vos invitaret atque alliceret ad eam propius intuendam, et desiderium moveret ejus accuratius cognoscendae. Cyrus igitur, (hac enim laude apud Persas eum ornatum fuisse dicit Xenophon) cui jam natura hoc largita erat munus, ut forma esset pulcherrimus, tanta quoque fuit mentis hilaritate animique humanitate, ut omnes amore amplecteretur. Tum autem praeditus fuit maxima discendi cupiditate, et ita honoris adipiscendi studiosus, ut laudis promerendae causa nunc nullum non laborem perferret, nunc omnia pericula libenter susciperet.

Nonne igitur jam ex hac adumbrata pueri imagine videtis, tam praeclaram excellentiam virtutum in eo fuisse, ut divinare possitis, talem eum a Vobis cognitum iri, qualem Vestra amicitia imitationeque dignissimum judicare non dubitaturi sitis? Quamobrem, quum jam haec imago prima tantum corporis animique lineamenta exhibens Vobis ita probetur, quanto magis eadem animis Vestris arridebit, ubi singulis lineis designata et ipsis quasi coloribus distincta Vobis exhibuerit eminentem effigiem, quae tam similem cum Vestra

*) Terent. Adelph. III, 3, 61. **) Xenoph. Cyropaed. I, 2, §. 1.

vitae scholasticae degendae consuetudine ostendet rationem, ut paene singulae quaeque hujus institutionis partes aptissimam admittant comparationem?

Quae cum ita sint, ne diutius morando tempus teram, nec verbis attingere tantum videar, quae re ostendere volui, pueritiae memoriam recordamini ultimam, ut inde usque repetentes videatis, simillimam Vobis et ad suscipienda et ad persequenda haec studia cum Cyro puero fuisse conditionem.

Namque Vestrorum omnium primum haec eadem, ac Cyri pueri, est ratio, quod, antequam huic nostrae scholae, hisque disciplinis provectiori puerili aetati accommodatis traditi fuistis, domi singuli quique ex paternae institutionis et minorum scholarum lege educati estis. Sic enim Cyrus quoque, Cambysis, Persarum regis, filius, pueritiae tempus domi transegit, ibique secundum Persarum leges est institutus. *) Quarum quum princeps cura esset, ut communi utilitati serviretur, id ante omnia cavebant, ne omnino cives ii fierent, qui ad flagitia et facinora turpia propensiores essent. Quare fuit apud eos forum, quod appellabatur liberum, quodque regia et aedificiis publicis circumdatum erat. Id in quatuor partes divisum fuit, quarum prima attributa erat pueris, secunda adolescentibus, tertia viris, quarta senibus. Hae enim fuerunt quatuor classes eorum, qui, quum vel civitatis regendae artes discere vellent, vel regi in administrandis rebus publicis jam adessent, quotidie suo quisque tempore in illud forum prodibant. Harum autem classium unicuique praesides erant duodecim. Quum igitur Cyrus quoque puer primo illi, a quo publica institutio initium capere solebat, puerorum ordini ab initio esset adscriptus, necesse est, ut horum certe morem accuratius cognoscamus. Pueri **) igitur a primo diluculo in illud forum prodeuntes discebant arcum tendere et sagittis jaculisque ferire. Inde vero etiam magistrorum domos frequentabant, ibique edocebantur in rebus justis et injustis recte discernendis, jubebantur esse pio et grato animo, et in consuetudinem moderationis, obedientiae magistratibus praestandae, severae in victu temperantiae adducebantur. Plurimum autem ad teneros puerorum animos his doctrinis et virtutibus imbuendos valere debebant parentum et seniorum easdem virtutes colentium exempla et adspectus. Jam quum ita Xenophon doceat, a quibus initiis et fundamentis hae tantae laudes, quantis deinde Cyrum ornatum esse videmus, excitatae ac profectae sint, discere inde licebit, qua in re omnino firmissima certae spei de futura liberorum salute jacienda sint fundamenta. Namque profecto non possumus non admirari et laudare Persarum sapientiam ac providam curam, qua

*) Cyrop. I, 2, §. 2—4. **) I, 2, §. 6—8.

et diligentissimam statim a prima pueritia adhibendam esse putabant liberorum institutionem bonorumque morum consuetudinem, et plurimum tribuebant parentum et seniorum exemplo. *) Quantum enim hoc valuerit in Cyri animo ita contra omnes corruptelarum illecebras mature praeparato ac bene confirmato, post, ubi de ejus virtutibus sermo erit, facile apparebit. Singulae vero exercitationes, licet ad illius gentis vitae genus et aetatis mores aptatae a nostris rebus discrepent, tamen, quod ad summum earum finem et consilium attinet, eas quoque cum nostris rationibus bene conjungi et posse et debere mox videbimus. Namque quum pueri plerumque in illis rebus exercerentur usque ad decimum sextum vel septimum aetatis annum, Cyrus tamen jam duodecimo aetatis anno, **) inter aequales non solum in gymnasticis illis artibus fuit praestantissimus, sed etiam prae omnibus aequalibus mirum in modum excelluit facultate ac celeritate quum percipiendi ea, quae discenda erant, tum, quamcunque rem capesseret, hac quam optime perfungendi, ita ut hanc ob causam quatuor annis ante spatium illud, quod datum erat primae pueritiae tirociniis, confectum alii disciplinae ad majores res discendas tradi posset. Nonne igitur inde apparet, qua lege ac conditione, si quis velit puerum altiori literarum et artium studio tradere, id recte fieri debeat?. Requiri enim concedamus necesse est quam maxime etiam ad hanc rem, ut puer jam in priori facilium rerum institutione eminuerit quadam ingenii alacritate et acri cognitionis et scientiae amore. Namque profecto! quam longe melius, quam nunc adhuc fieri solet, et ipsorum puerorum saluti, et piis justisque parentum votis, et civitatis commodo consultum foret, si nulli nisi pueri indole satis bona praediti, humanis moribus politi, assiduae diligentiae adsueti, alacri literarum studio incensi, iisque, quibus pueri infici debent, artibus bene imbuti ad scholas nostras accederent. Neque hic praetermittendum est, diserte a Xenophonte commemorari, ***) lege neminem ab honoribus et magistratibus prohibitum fuisse apud Persas, sed cuivis licuisse, liberos suos ad illas publicas, quas justitiae appellabant scholas, mittere, sed tamen eos tantum parentes hac venia uti solitos fuisse, qui haberent, unde liberos alerent et sustentarent, ne negotiis factitandis prohiberentur, omne otium solas ad has artes colendas impendere. Atque item apud nos sapienter institutum est, ut cuivis liceat, literis operam dare, omnibusque aditus ad publica munera aeque pateat. Utinam vero et hic parentes ii, qui omnibus ad filios juvandos destituti sunt copiis, ita saperent, ut ne filiolos jam ob exiguam prae aequalibus inferioris sortis eminen-

*) Cyrop. I, 2, §. 8. **) I, 3, §. 1. ***) I, 2, §. 15.

tiam statim benigno aliquo fato magnis honoribus natos ac destinatos esse opinarentur. Quum enim neque ad opificia quisquam nimium ingenii facile adferat, recte statuitur, pueros humilioris conditionis, nisi qui ita ingenii vi polleant, ut, quum genio suo ad has artes tractandas abripi videantur, nefas sit, iis impedimento esse velle, melius et rectius ad omnes alias res mitti, quam his ingenuis literis tradi, quibus quum tales pueri, ubi fuerint admissi, saepe adferant aut turpe lucri studium, aut perversam virium suarum opinionem, plerumque tam parum in iis proficiunt, ut et sibi et scholae et civitati oneri sint. Jam vero ne Vobis, Commilitones Optimi, quippe quibus jamdudum praeterierit hoc primae domesticae institutionis tempus, praepostera videatur harum rerum mentio ac sero facta omnis ejusmodi monitio, rogo, ut cogitetis, apud nos eodem plane modo atque apud Persas rem institutam esse, ut, quemadmodum illic nemini puero ad proximum superiorem juvenum ordinem adspirare licebat, nisi omnes, quae pueris prioris ordinis faciendae erant artes, bene didicerat, *) sic nec Vos, nisi omnibus hujus institutionis scholasticae officiis antea rite satisfeceritis, ad altiora academiae studia admissum iri. Quare, quae, si de domesticae educationis tempore monuissem, minus ad Vos pertinuissent, eadem tamen de hac scholastica conditione vitam academicam praeparante nunc admoniti, ita accipienda et animo Vestro perpendenda existimatote, ut, si qui Vestrum sentiant, se hactenus rebus incommodis et duris subjectos, adversante etiam natura, et animo si non reluctante, at certe lento et frigido, omnino invita, quod dicunt, Minerva, horum studiorum rationem suscepisse, ne nunc quidem sero factum putent, mutare initam vitae rationem. Verendum est enim, ne, si academicis disciplinis minus recte cognitis omni facultate ac spe muneris capessendi frustrati fueritis, re vera sero justam vitae recte instituendae occasionem praetermissam, atque, ut in proverbio est, oleum ac operam perditam esse intelligatis. Qui vero in litteras toto pectore incumbitis, facite, ut Vestrum ardorem et studium nulla res frangat, nulla restinguat, sed potius quotidie magis animum incendite atque inflammate, Cyri pueri exemplum sequentes, quem non solum in hoc primo domesticae institutionis ordine, sed etiam in proximo quoque studiorum stadio semper ante tempus suum metam propositam adtigisse et ad summa atque in omni genere perfecta pervenisse mox videbitis.

Non est enim, quod in illa Cyri domesticae vitae laude diutius subsistamus, praesertim quum a Xenophonte nobis narretur tantum, excelluisse eum

*) Cyrop. I, 2, §. 15.

illis virtutibus, non autem relatum legamus, quibus rebus effecerit, ut ita excelleret. Quum enim haec laus ita careat singulari rerum gestarum expositione, merito desideramus adhuc vividam illam imaginem, qualem, si quos ad imitandi studium ab ea excitatos videre cupimus, expressam esse oportet.

Hoc ipsum igitur justam nobis praebet causam transeundi ad ejus temporis descriptionem, ubi Xenophon Cyrum puerum traditum esse narrat novae altiorique alius civitatis institutioni, quae cum Vestro aditu ad hanc urbem et ad hanc scholam simillimam habet rationem. Cambysis enim, Persarum regis, uxor fuit Mandane, Astyagis, Medorum regis, filia. Horum igitur parentum quum filius esset Cyrus, Astyagen avum maternum habuit. *) Qui cum certior factus esset de excellenti nepotis ingenio et praestanti morum bonorum indole, magno desiderio eum cognoscendi incensus filiam cum nepote ad se invitavit. **) Quare accidit, ut Mandane cum Cyro ad Astyagen proficisceretur. Expectationem autem illam ipsius adventus praesentisque admiratio superavit. Nam simulatque avum cognoverat, amore statim eum amplexus est, et brevi tempore solerti mentis judicio de novis, quae hic ei offerebantur, rebus et moribus, ingenua sinceri animi bonitate, hilari facete jocandi indole, promta loquendi facilitate, venusta morum gratia tantum sibi apud avum conciliavit favorem et gratiam, ut is, cum Mandane reverti vellet, eam rogaret, ut Cyrum apud se relinqueret. ***) Quam veniam quum prudentissima mater hac quidem conditione, si puer ipse non invito, sed lubenti animo remanere cuperet, se largituram esse dixisset, Astyages nonnisi hac re, si facilem ad se aditum, et largam variis artibus studendi occasionem promitteret, putat puerum allici posse. †) Quo facto quum mater Cyrum interrogasset, utrum remanere, an cum ipsa domum reverti mallet, puer haud cunctabundus, remanere se velle, respondit. Sed mater sapientissima non satis habens, promtum remanendi animum cognovisse, etiam causas, quibus adductus hoc consilium cepisset, ex ipso quaesivit. Jam quis est, qui huic puero duodecim annorum non toto ex animo applaudat, ubi eum nihil aliud causae habere audiverit, nisi quod, quum domi jam in omnibus puerilis aetatis artibus praestantissimus habitus sit, hoc loco caeteris aequalibus inferiorem esse pluribus in artibus aegerrime ferat. Id circo enim, si sibi venia sit hic remanendi, occasione enitendi sibi oblata se usurum esse dicit ad omne studium in eo collocandum, ut harum quoque artium scientia excellat, atque ita patri omnium peditum optimus, avo equitum praestantissimus evadat. ††) Quod igitur multis vel molestiam creat, vel invidiae obtrec-

*) Cyrop. I, 2, §. 1. **) I, 3, §. 1. ***) I, 3, §. 13. †) I, 3, §. 14. ††) I, 3, §. 15.

tationem movet, vel defatigatione ac taedio animum retardat, si alios se superiores vident, id ei maximo est gaudio, id animum ejus acuit, id honestae aemulationis in eo studium excitat. Jam igitur inquirite in Vosmet ipsos, et percontamini animos Vestros, num eadem Vobis fuerit promtitudo hic remanendi, quum a parentibus Vestris huic scholae traditi relinqueremini, num eodem gaudio pectus Vestrum fuerit affectum, quod occasionem nacti eratis, eas artes literasque, quarum antea Vobis nulla facta fuerat copia, addiscendi, num eodem ardore inflammati fueritis, studii certamen ineundi cum iis, qui jam longius erant progressi. Ac repetita semper vicissitudine abeundi et remanendi repetitur quoque idem illud officium, ut haec Vobiscum diligenter reputetis. Nam quum haec sit scholarum institutio, ut per plures classes semper ad altiorem doctrinae gradum ascendendi atque in novum quasi campum perveniendi lex et occasio sit data, quotiescunque in novum ordinem quis receptus fuerit, memorem eum esse oportet officii, ut secum verba faciens diligenter exploret, num vero literarum amore ac res novas cognoscendi studio teneatur, ne aut plane sui nescius, aut invitus in ea classe, ad quam ascenderit, remaneat. Tales enim, quum in novis doctrinis et exercitationibus plus molestiae, quam desiderati adjumenti ac subsidii sibi oblatum existiment, non modo semper impellendi et urgendi sunt, sed etiam tum plerumque ita tergiversantur, ut nonnisi coacti et tantum non repugnantes progredi videantur. Optandum igitur est, ut quisque sibi conscius sit, se gaudentem de opportunitate novarum rerum addiscendarum oblata sponte ac libenter eo consilio remansisse, ut, quum hic se caeteris commilitonibus inferiorem viderit, acerrimo studiorum certamine inito efficere velit, ut quam primum iis par habeatur, imo, si fieri possit, eos post se relinquat.

Hoc ipsum enim Vobis Cyri exemplum suadebit, cujus imaginem, ad quam revertimur, jam ita vividam videbimus depictam, ut eum in omni agendi ratione quasi coram nobis se exercentem cernere videamur. Huic enim ab eo inde tempore, quo apud avum remanserat, similiter ac Vobis per plures exercitationum classes et ordines progrediendum erat. Sed tantum abfuit, ut patienti animo exspectaret, donec ipsi justum accederet tempus ac venia ad proximum altioris exercitationis genus progrediendi, ut flagrante illo excellendi studio semper incitatus transvolaret quasi praescriptos fines, atque ita se ipsum promovendo solito maturius sibi illud tempus accerseret.

Quemadmodum autem scholae nostrae ambitus in duas partes dividi potest, quarum una est trium inferiorum classium, altera duarum superiorum, sic etiam in Cyri apud Medos institutione duas maxime partes facere licebit, ita

quidem, ut aeque atque apud nos prior tria exercitationum inferiorum, posterior duo superiorum genera complectatur, et utrobique prior quaeque ars ac disciplina a sequente excipienda, augenda et continuanda sit. Summus autem omnis hujus apud Medos institutionis finis cernebatur in arte ex equo venandi per campos apertos. Ex bellicarum enim illarum veterum gentium *) more haec apud Medos quoque lex fuit, ut, quo quis magis in venandi arte excelluisset, eo melius ad rem militarem colendam praeparatus esse, atque eo laudabilior aliquando et praestantior belli dux evasurus esse videretur. Namque videbatur haec venatio eo, quod multo mane surgere, frigus caloremque juxta pati ac sub dio pernoctare assuefaciebat, corpus omnino firmabat, animumque audacem reddebat, non modo bene praeparare vitam castrensem, sed occasionem quoque dare ipsius belli, cujus imaginem venatio exhiberet, artes usu atque exercitatione discendi, ut: agilem armorum usum, locorum peritiam, observandi facultatem, investigandi calliditatem, insequendi ardorem: probandi autem pectus in periculis subeundis impavidum, animi praesentiam et fortitudinem, laborum susceptionem, dolorum contemtionem. Haec igitur ex equo per campos patentes venandi ars, quae tota cum suis duobus generibus, ut mox videbimus, cum nostra superiorum duarum classium ratione comparanda est, praeparabatur venatione facilioris et minus periculosi generis, quae fiebat intra hortorum septa contra feras minus feroces, in silvis antea captas eoque deductas. Neque vero huic venationi operam dare poterat, nisi qui, quas singulas eadem requirebat artes, antea justo ordine factitaverat omnes. Sic igitur Cyrum quoque oportuit primo equo vehendi artem discere, deinde artem illam prius jam tractatam, arcum tendendi et sagittas missiliaque jaciendi, nunc ex equo facere; et tum demum ei licuit equo vehenti per vivaria feras ipsas hinc illinc prosilientes atque huc illuc vagantes persequi.

Vobis autem pacis magis amantibus patet alius quidem, quam qui illis bellicis gentibus fuit, sed tamen aliqua ex parte similis literarum campus, nec adeo dissimilis a Vobis instituitur rerum et exercitationum discendarum quasi venatio. Quemadmodum enim illi juvenes venandi arte bene factitata ad militiae disciplinam discedebant, ut aliquando boni duces exercituum fierent, sic Vos hisce literis et artibus scholasticis rite tractatis ad altiora academiae adgressi pacis artibus discendis operam navabitis, ut aliquando boni quarumvis divinarum et humanarum in civitate rerum administratores evadatis. Quod igitur in gymnasiis addiscitur, id habendum est instar illius venationis per

*) cf. de hoc loco Persarum morem (Cyrop. I, 2, §. 9—11.) cum Medorum more, (Cyrop. I, 3, §. 14 et I, 4, §. 5.) et Xenoph. de Venat.

aperta factae; et cernite, quam similis sit singularum exercitationum ratio. Sicut enim illic praeparationi omnia inserviebant, ut per minora fieret adscensus ad majora, ita nostrae institutionis summus finis nonnisi in omnibus iis consuetudinibus et literis discendis cernitur, quibus juvenes ad academiae studia tractanda et munera publica olim bene administranda recte praeparati videri possint. Omnia superiorum classium illis venatus exercitiis comparanda studia apud nos id spectant, ut proliciantur et exerceantur omnes ingenii vires, quarum usus et facultas requiritur ad disciplinas futuro muneri necessarias prospere colendas. Namque praeterquam quod nostrae rationes Vos quoque adsuefaciunt consuetudini bene mane surgendi, scholas rite frequentandi, doctrinis attentas aures praebendi, Vobis hic etiam campus patet auctorum veteris et recentioris aetatis ad linguarum scientiam acquirendam perscrutandus, cursus faciendus est per amplam totius historiae mathematicarumque disciplinarum aream, atque sic, dum artibus vertendi, interpretandi, sententiarum vim et nexum inveniendi, et harum omnium rerum justum ad Vestrae mentis cogitata facile et apte exponenda usum faciendi operam navatis, hac re quaeque Vestrorum animorum indoles excitatur, memoriae vis augetur, intelligendi facultas excolitur, observandi ars exercetur, judicium acuitur, mentis sagacitas elicitur, locorum obscuritates illustrandi et difficultates extricandi solertia expeditur, agilis lecta intelligendi, sua dilucide cogitandi, de rebus propositis clare loquendi et ornate scribendi usus discitur, omniumque rerum necessariarum cognitio et scientia comparatur. Ad quas superiorum classium exercitationes qui accedere velit, eum apud nos quoque in inferioribus classibus oportet didicisse, qua arte facilius scriptorum genus recte intelligatur, et caeteras res scitu necessarias certis adhuc et angustioribus finibus circumscriptas percepisse, ita ut hae res quodammodo comparandae sint illis feris intra hortorum septa inclusis. Sed haec quoque ars sicut ille in vivariis venatus praeparari debuit aliis itidem exercitationibus deinceps institutis. Primo enim et Vos incipitis quasi artem equo vehendi colere. Qui enim praeter linguam vernaculam Graecorum et Romanorum linguis addiscendis operam dat, is quasi altius incedere vel adhibito plurium pedum auxilio expeditius per latiorem literarum campum peragrare, uno verbo, equitare videtur. Ac sicut, qui equitare discit, equo recte insidendi et equum, quoquo velit vel opus sit, flectendi artem edocetur, ita Vos grammaticis et lexicis recte utendi et voces quoquo modo flectendi arte instruimini. Tum vero, quemadmodum illic cum arte equitandi conjungenda erat ars sagittaria prius tractata, sic in proxima classe prius tractatam vernaculae linguae artem ita cum peregrinis linguis conjungere

debetis, ut jam graecis et romanis equis insidentes, arcum i. e. ingenium Vestrum recte intendentes teutonicis vocibus quasi sagittis Vestris, peregrini scriptoris sensum i. e. scopum bene feriatis.

Qua quidem lege postquam in singulis tantum sententiis et enunciatis vel locis longioribus excerptis versari didicistis, tum denique in proxima classe Vobis licet continuam ipsorum scriptorum enarrationem persequi. Sed sicut in illis hortis necdum nimis feroces bestiae, necdum nimiae erant viarum ambages, sic ab initio Vestris manibus historici tantum ejusque generis scriptores traduntur, qui nec sententiarum audacia, nec longiore dictionis circuitu virium Vestrarum modum nimium excedant.

Jam vero, quum has singulas totius gymnasiorum ambitus rationes cum singulis in Cyri institutione conspicuis partibus comparaverimus, animadvertite primum, quam flagranti studio Cyrus in has inferioris generis artes deinceps discendas incubuerit, quamque facillime eas comprehenderit. Nunquam enim aequales ad certamen in iis rebus, quibus pollebat, ineundum provocavit, sed tales tantum instituit exercitationes, quibus se inferiorem esse sciret, ita tamen, ut sponderet nihilominus, se eos superaturum esse. Sic sibi ipse majora proponens exsequenda suum studium magis inflammare, sibique ipsi stimulos admovere volebat. Quare quum sciret, sibi, nisi antea equo vehendi artem bene didicisset, non licere venari in vivariis, jam prius, quam equis firmiter inhaerere valeret, in equos insiliebat, ut inter equitandum jacula vibrare et sagittas mittere consuesceret. Neque, si interdum vincebatur, id ejus animum unquam fregit, sed optimam in hac re adhibens rationem ipse deridebat irritum conatum, eumque haud defesso studio repetebat. Quo id effecit, ut in his artibus fieret aequalibus mox par, imo vero, quum omnes studio et amore superaret, brevi tempore superior. Vix autem in his artibus bene versabatur, quum iis usus est etiam ad id opus perficiendum, in cujus usum eas tractaverat. Nactus enim tandem exoptatissimam veniam, feras venatu persequendi in vivariis, quid mirum, quod, quum tam insigni esset equitandi jaculandique dexteritate, et maximo ardore, quidquid propositum haberet, exsequi properaret, quid mirum, inquam, quod tantam quotidie ferarum multitudinem prostravit, ut brevi tempore Astyages, unde suppeditaret feras, non haberet? *) En Cyri impigre, diligenter et strenue has primas exercitationes instituentis imaginem! Sed nolite immemores esse, in quem usum eam Vobis proposuerim! Discite inde, quam diligenter utendum sit quoque tempore et quaque occasione ad

*) Cyrop I, 4, §. 4—5.

omnes eas res discendas, in quibus rite praeparatum et recte exercitum oportet esse quemque, qui velit ad majora eniti. Et quum haec sit omnium studiorum ratio et natura, ut prior quaeque exercitatio aditum sequenti alicui praemuniat, quis Vestrum, quorum omne scholasticum tempus praeparationi datur, non videat, cur enixe debeat contendere, ut eximium Cyri exemplum imitetur? Itaque Vos monitos ac rogatos volo, ut haud minorem etiam nunc in Vestris rebus adhibeatis diligentiam et assiduitatem, nec unquam hac illave re bene percepta statim mirum quantum Vos assecutos esse opinemini, ne forte hanc ipsam ob causam male feriati genio indulgeatis, sed potius, quamdiu aliqua res Vobis restet discenda, impigro studio et ardore ad eam aggrediamini. Neve nobis parcite, timentes forte, ne, in quas Cyrus Astyagen adduxit angustias, in easdem nos compellatis, sed persuasum Vobis habete, nos eo magis esse gavisuros, quo plures Vestrum vel hoc ipso examine ita nobis probati fuerint, ut, quia, quid nos docere, Vos discere possitis, non inveniatur, necessitas nobis imponatur, eos in proximam classem superiorem, vel ad altiora academiae studia honorifice dimittendi.

Sed hoc ipsum nos revocat ad Cyrum. Is enim non satis habuit, facilius illud venationis genus bene didicisse, sed, quum omnem feras suppeditandi facultatem exhaustam esse laetus animadverteret, vehementissimo plura et graviora experiendi desiderio incensus cupide arripit hanc occasionem, humiliorem illum venatum in omne posterum tempus detrectandi. Saepe igitur avum adit, dicens: Quid opus est, molestiam tibi creari feris conquirendis? Si mihi veniam concesseris, liberiore modo per campos apertos venandi, quaecunque ferae se mihi in conspectum dederint, eas a te mihi datas existimabo. *) Quibus precibus licet primo non satisfaciendum esse putaret Astyages, tamen, quum vehemens Cyri desiderium animadvertisset, cessit tandem. Sed quum consideratissimus vir merito timeret, ne puer tam flagranti cupidine exardescens, simulac rei jamdiu omnibus votis expetitae copiam sibi factam videret, caeca cupiditate temere rueret in omnia pericula, fervidum ejus ingenium aliquo modo temperandum esse censuit. Itaque provida cura custodes et aetate provectiores et prudentiores una misit, qui puerum a locis impeditis atque a bestiis ferocioribus tutum praestarent. Jam admiramini praeclaras pueri virtutes, qui cum summa excellendi laude et studio haud minorem conjungeret modestiam ac prudentiam. Quamquam enim, quantum in venandi arte processisset, ipsum non latebat, tamen tantum aberat, ut insolenti et inflato animo

*) Cyrop. I, 4, §. 5.

monitorum consilia atque praecepta spernerer, ut grato animo nova discendi copia usus ipse sedulo sciscitaretur custodes, ad quas feras propius accedere, quasve audacter liceret persequi. Ab his igitur edoceri se passus est, aeque ac bestias ipsas cavenda esse impedita loca: in quae qui proruat, cum ipso equo praecipitem delabi solere: venationis autem esse duplex genus, alterum facilius et tutius, quo in minores feras, quales sint cervi, capreae, oves silvestres, onagri, impetus fiat; et hoc priore loco tentandum esse: alterum vero difficilius et periculosius, quo majorum ferarum corpora petantur, ut ursorum, aprorum, leonum, pardorum; quare id serius demum periclitandum esse. *)

Quibus quidem monitis ita obtemperavit, ut animo freno injecto se contineret et exspectaret, donec occasio sibi offerretur, qua periculum in fera minus feroce tutius facere posset. Sed hac opportunitate oblata neque rei difficultate, neque periculi magnitudine ulla deterreri potuit, quominus opus susciperet, eique acriter instaret, dum plane perfectum esset. Simulatque enim cervum aliquem prosilientem conspexerat, immemor plane omnium monitorum tanto ardore eum insecutus est, ut nihil aliud observaret, quam quo ille fugeret. A quo vehemente impetu neque tum retentus est, quum equus ad nimios saltus incitatus ita in genua procubuisset, ut ipsum paene excuteret, sed equo exsurgere coacto eo usque institit, donec in planitiem delatus cervum adsequeretur et prosterneret. Incredibili autem laetitia ad ejus magnitudinem pulchritudinemque exultabat. Quod quidem ipsum de prospero successu gaudium quantum valeat ad nova, eaque majora pericula facienda, insigne Cyri exemplum mox ostendet. Vix enim acceleraverant illi custodes, puerique temeritatem increpantes minitabantur, se avo delaturos esse, ita ut moesto vultu adstaret, illorum monita et minas audiens, quum novo clamore exaudito furenti similis denuo in equum insiluit, et aprum ex adversa parte irruentem conspicatus ei quoque obviam se tulit, jaculoque in frontem apte conjecto eum percussit. **) Sic eo ipso momento, quo de nimio periculo, quod cervum insequens adiisset, increpabatur, difficilioris et periculosioris adeo venationis fortunam tentavit. Hoc modo igitur Cyrus nunquam se exspectari sivit, neque solum generoso animi impetu et vincendi cupiditate incitatus maxime cavit, ne quid inceptum relinqueret imperfectum; verum etiam plurima negotia ante tempus nulla necessitate imposita lubenti animo suscepit.

Jam vero nullus dubito, quin ipsi inveneritis, quam hoc liberioris venationis genus habeat similitudinem cum liberaliore Vestrorum studiorum ratione,

*) Cyrop. I, 4, §. 7. **) I, 4, §. 8.

quae est in duabus classibus superioribus. Hic enim vere latior patet campus rerum grammaticarum judicium subtilius requirentium, hic magis aperta Vobis recluditur regio rerum cogitatione percipiendarum, hic dicendi vel scribendi exercitationes majorem elegantiam et investigandi artem requirunt, hic denique scriptores leguntur, qui et philosophorum et oratorum et poetarum nominibus inclyti orationis genus habent magis solutum quoddam, ita ut sententiarum series licet non licenter errare, tamen liberius ingredi videatur, quum ex sui ingenii vi et acumine vel plane nova nec unquam cogitata gignant et procreent, vel summa copia et dicendi facultate res ornent et illustrent, vel ex intimo pectoris sensu et mentis agitatione jucundas imagines fingant et concipiant. Debebit vero haec ipsa orationis generum diversitas Vos edocere, aliam causam aliam formam dicendi sibi efflagitare. Neque vero deest duplicis illius generis ratio. Nam hic quoque primum in ea classe, quam secundae nomine appellatam prius ingredimini, ex philosophis, oratoribus, poetis opera argumenti intellectu facilioris leguntur. Ejusdem autem generis scriptores, qui subtiliore et magis sublimi dicendi genere utuntur, Vobis tum demum proponuntur, quum ad primam classem ascendistis. Atque eadem progressio a facilioribus rebus ad res difficiliores fit in historiae mathematicaeque disciplinis et in omnibus caeteris singularum exercitationum generibus.

Qua in re quanquam Vobis iterum excellens studii flagrantissimi exemplum, quod Vobis Cyrus exhibet, imitandum commendo, tamen facile concesserim, plane fieri non posse, ut eam celeritatem, qua Cyrum tantos progressus fecisse audivistis, unquam ita imitemini, ut ad secundae classis studia admissi eodem die etiam progredi possitis ad primae classis doctrinas, quoniam nostrarum quidem rerum, ubi non corporis, sed animi motus exercentur, longe alia est ratio, quam quas, etiamsi cui optima indoles ingeniumque vere praecox a natura datum sit, uno die addiscere queat. Verum enim vero hoc non immerito concupisci a nobis intelligetis, ut eodem desiderio majora tractandi inflammati ad has superiores classes accedatis, eadem laetitia afficiamini de novis rebus hic propositis, eodem indefesso studio ac cupiditate nullum laborem detrectante, eodemque animo forti nullam difficultatem fugiente res Vestras adgrediamini, et tam impigre in omnia studia incumbatis, ut, etiamsi non ante tempus, tamen justo tempore ad finem propositum perveniatis. Laetamini igitur, quoquocunque magis aperta Vobis recludatur regio literarum, percurrite diligenter novum quemque et latius patentem campum, et venatorum instar, quibus ad lenem quemque susurrum aures arrectae stant, attendite ad magistrorum sonos, ne quid, quod a Vobis comprehendi possit, praeterlabatur, excitate

et insequimini cujusque loci non lepŏres quidem, sed lepōres atque venustates, ne Vos effugiant, indagate etiam abdita sententiarum, ne quae Vos lateant, investigate lucos opacos, et locos obscuros, ut inde pellantur ferae inopinantibus periculum minitantes atque terrorem injicientes, perquirite sedulo studio silvas poeticas et criticas. Inprimis autem cavete, ne in scriptis Vestris campis adhuc conspiciantur bestiae illae grammaticae, quas non decet esse in campis apertis. Namque has jamdudum trucidare debebatis, ubi intra hortorum septa inclusae omnes lineas transiliebant, omnem legem migrabant, laqueis etymologicis sese expediebant, retisque syntactici vincula rumpebant. At vero, quum videatis, nos etiam de his artibus elegantibus et ingenuis loqui posse more venatorum, qui plerumque utuntur vocabulis nobis incognitis, sibi usitatis, forsan eo deducimini, ut etiam equum et montes et perennes fontium aquas, unde illi e venatu fatigati sitim sedabant, a nobis requiratis. Nec Vobis deerimus, sed precibus tam justis libenter cedimus. Jam enim in hac nostra Musarum sede Vestro usui paratus stat equus ille omnium generosissimus, pedum pernicitate velocissimus, aeterna omnium aetatum gloria excellentissimus, juventute nunquam peritura vivacissimus, pastu facillimus, cuique, qui audaci et lubenti animo insederit, aptissimus, alatus ille, inquam, equus, Pegasi nomine inclytus. Huic insidentibus Vobis licet montes, nemora, prata, campos peragrare. Ferte igitur gradum ad Parnassum, ascendite Helicona, Pindum, Olympum, et si Vos defatigatos sitis urit, accedite ad fontem limpidissimum Castalium, ad Hippocrenen, Aganippen, Arethusam.

At nobis quoque cavendum est, ne aberremus in hoc campo tam late patente. Revertamur igitur ad Cyrum, quem ubi non omnia ad suam utilitatem retulisse, sed etiam ubique aequalium suorum commodis consuluisse audiveritis, facile intelligetis, nos hac quoque in re Vos ei similes esse voluisse, quum eandem Vobis praeceperimus rationem. — Quis autem non putaverit, puerum, qui tanta eminendi cupidine flagrabat, gavisum esse, quod sibi soli haec insignis data sit venia, feras per aperta persequendi et jaculandi? Sed longe secus in illo. Vix enim attulerat avo praedam illam primam e campis patentibus reportatam, vix audierat ab hoc caute monente, se non ita egere his carnibus, ut ipsi tantum periculum subeundum sit, quum id verbum ingenue arripiens avum rogat, ut, si avus ferarum occisarum usum facere non possit, sibi liceat praedam inter aequales distribuere. *) Num vero cum his se jactare voluit? Quam aliena fuit talis macula ab ejusdem moribus! Imo

*) Cyrop. I, 4, §. 10.

insigni praeda in oculorum conspectum conjecta orationem habet ex pectore ardorem animi exhalante ad aequales, qua venatum in vivariis sibi jam meras nugas pueriles videri profitetur, feras illas ut ligatas, scabiosas, tenues, claudas, mutilas deridet, laudibus vero effert magnitudinem, pulchritudinem, nitorem cervorum montanorum, qui volucrum instar ad coelum exsiliant, quique exanimes pulchriores sint illis vivis: animos postremo aequalium incensos adhortatur, ut ipsi quoque hoc majus opus suscipere velint. *) Neque vero satis habuit, admonuisse, sed ab his rogatus etiam intercessit pro iis apud avum, ut eandem veniam impetrarent. **) Cui venatui quum ipse Astyages interesset, sine dubio, ut mentem Cyri exploraret accuratius, vetuit, ne quis aequalium prius feriret, quam Cyrus feriendo satiatus esset, et ita quasi privilegio venandi eum donavit. ***) At hoc Cyrus non accepit, sed eum obsecravit, ut, si venationem sibi voluptati esse vellet, cunctis aequalibus insequendi veniam concederet, quo acrius sibi pro virili parte esset enitendum, ut excelleret. †) Quam amabilis ergo fuit in hoc puero haec alios excitandi consuetudo! quantum aemulandi studium in eo, qui nonnisi in hunc finem ab aequalibus se superari facile patiebatur, ut novam inde novi incrementi ac studii aemulationisque haberet materiam! Num vero alicui Vestrum dubium esse poterit, quatenus eadem agendi ratio a Vobis jam ineatur? Quum enim haec apud nos jam per decem annos sit consuetudo, ut Vobis superiorum ordinum discipulis officium impositum sit, binis per hebdomadem diebus certa hora juniores ex inferioribus classibus commilitones ad latinae linguae elementa accuratius addiscenda instituendi, in iisque recte adhibendis exercendi, nonne hac ratione larga Vobis data est occasio, quamcunque ex Vestris exercitationibus retuleritis praedam, ita distribuendi ac reddendi, ut gratissimum faciatis et commilitonibus Vestris aetate minoribus et Vobismet ipsis, quibus, quum sic docendo vere ipsi discatis, novi incrementi inde nascitur materia, et nobis quoque, qui, quum aeque atque Astyages ex hac Vestra praeda nobis ipsis usum facere non possimus, libentissime hanc veniam Vobis largimur, ut eodem modo aequalium commodis inserviatis? Haec ipsa vero instituti nostri ratio Vobis ansam quoque praebet, eos, quibuscum hac necessitudine ac benevolentia conjuncti estis, adhortandi ad studia alacrius instituenda, quo celerius ad majora et digniora opera tractanda accedere possint. Miscete igitur cum iisdem sermones de laetitia, quam Vos ex gravioribus doctrinis capiatis, ut erigantur pueriles animi et incitentur ad majorem discendi hilaritatem: inflammato animo verba facite ad

*) Cyrop. I, 4, §. 11. **) I, 4, §. 12 — 13. ***) I, 4, §. 14. †) I, 4, §. 15.

eos et ostendite, quantopere exsultent instar cervorum montanorum grandisona oratorum et poetarum verba; quam jucundum sit, abditas in latebris animi remotissimis philosophorum sententias mente sagaci investigare. Qui vero his studiis eo pervenerunt, ut superioribus ordinibus adscripti in Vestrum sodalitium recipi possint, hos incendite magno aemulandi studio, ut laudi sibi ducant, Vobis haberi similes, dissimiles si reperiantur, summo dedecori.

Quanquam vero jam talem Cyri pueri Vobis imaginem depinxi, qualis non facile alia possit magis adhortari ad discendi cupiditatem, vel vehementius inflammare ad excellendi studium, dubito tamen, an Vobis jam absolutam exhibuisse videar imaginem. Bene enim compertum habetis, in hac examinis solennitate, sicut in omnibus rebus nostris, insignem in literis et artibus tractandis laudem et gloriam non solam expectari solere a Vobis, sed exoptari etiam animi pietatem, vitae sinceritatem, suavitatem morum. Quare ut, qui imitatione Vestra dignus praedicatur, vere dignus sit, recte desideratis atque expostulatis, ut ad diligentiae et studii excellentiam etiam virtutis laus et morum commendatio accedat, ne secundum proverbium illud plus deficere, quam profecisse videatur. Jam igitur mente Vestra divinare potestis, si Cyri imago tam manca tamque mutila esset, ut ab una parte adhortandi facultatem praeberet, ab altera vero dehortandi necessitatem imponeret, me hanc Vobis omnino non exhibiturum fuisse, quippe qui mea culpa factum esse arbitrarer, si dubitaretis, an pia morum bonorum cura cum excellenti discendi studio bene conjungi et possit et debeat. Sed tantum abest, ut in hanc dubitationem incidere possitis, ut admiraturos vos esse sperem, si virtutes tam amabiles et tantam morum comitatem cum tam eximia ingenii vi et ardentissima excellendi cupidine amicissimo vinculo conjunctas videritis. Et recte quidem admirabimini. Quod enim tanto cum animi ardore omnes res discendas adgrediebatur, id magis debuit naturae, cujus benevolo munere tantam ingenii vim et celeritatem acceperat; quod autem non solum ea ipsa vitia, in quae fervida ingenia facillime plerumque feruntur, caute evitabat, sed etiam virtutes, quas cum magna ingenii vivacitate et flagranti animi cupidine rarius conjunctas esse dolemus, diligentissime colebat, id, etiamsi aliquam partem bonae indoli, tamen plurimam partem potius obedientiae institutionibus patriis praestitae, voluntati, studio ac curae debuit. Quod studium quum eo acrius esse deberet, quo plura praeter interiores animi motus etiam extrinsecus ei aut impedimenta virtutum offerebantur, aut corruptelarum illecebrae eum irretiebant, laus illa mirum quantum augetur. Quum enim cum rerum graviorum gerendarum cupiditate nihil facilius conjunctum inveniatur, quam intemperantia quaedam animi et libidi-

num fervores, bene quidem aliquatenus domesticae disciplinae severitas Cyro puero hac re consuluerat, quod eum jam ab ineunte aetate magnae temperantiae et frugalitati sapienter adsuefecerat. Sed convertite animum ad eum locum, quo nunc paullo tantum adultior versabatur, et circumspicite, quantis periculis, quantisque voluptatis et libidinum illecebris ejus virtus statim inde a primo ad aulam Medorum regis adventu obnoxia fuerit. *) Hic enim conspexit aulam regiam omni vitae luxuria et splendore refertam. Jam quis mirari potuisset, si puer hanc ubertatem et abundantiam pristinae vitae simplicitati atque tenuitati anteposuisset, si jam tanto et tam splendido mensarum apparatu allectus, tanta et tam lectissima ciborum et vinorum copia atque dulcedine delinitus hac facili liberius vivendi occasione et venia usus sic sibi indulsisset, ut his cibis, quos nondum unquam viderat, nedum gustaverat, fruitus abjecisset omnem puerilis aetatis simplicitatem et frugalitatem? Quotusquisque enim est, qui tali opportunitate sibi facta voluptatem tam insolitam sponte rejiciat? Nonne potius plurimi, quum jam illicitum appetierint, oblata fruendi occasione se nimis diu talium rerum fructu caruisse sibi persuadent, et tam libenter, et tam avide rem arripiunt, ut diuturnam sitim explere et famem ardentissimam sedare voluisse videantur? Quid autem Cyrus puer? Ab avo interrogatus, annon hae epulae ipsi magis probarentur, quam Persarum, festivo sane lepore respondit, sic famem et sitim explentes sibi videri per ambages, sursum deorsum, per avia eo pervenire, quo recta eaque brevior via duceret: nam simplici panis et carnis esu quemque satiari. Sed, non allici ciborum multitudine, varietate atque dulcedine, quam parum id erat Cyro? At habet sane, cur non laude tantum, sed summa quoque admiratione et reverentia, nec non Vestra imitatione dignissimus habeatur. Quid enim? An majus quid dici vel cogitatione fingi potest illecebrarum et periculorum genus, quam quo eo deductus fueris, ut officia inter se pugnare videantur, ut, quae quis suaserit, sive facias, sive non facias, officio tuo tibi deesse videaris? Ex qua quidem officiorum repugnantia nemo ita se expediet, ut ab officio nunquam recedat, nisi summam considerationem et prudentiam cum aequabilitate animi et firmitate conjunctam habeat. Cyrus autem, ut paullo ante audivimus, a teneris ex patriae legibus adsueverat, quum superiorum et seniorum monitis atque jussis obtemperare, tum eorundem exemplum, sicut caeteris in rebus, ita et in victu cultuque, constanter sequi. Ac nunc rex, idemque avus, quem summa observantia reverebatur, non solum exemplo suo nepoti praeivit, sed etiam verbis

*) Cyrop. I, 3, §. 4.

eum impulit ad se imitandum. Rebatur enim, puerum, ne patriae desiderio caperetur, exquisitissimis ad epulandum rebus invitandum atque alliciendum esse, ut his rebus uteretur. Jam igitur in id discrimen deductus est Cyrus, quo animi vel virtutis et officii specie aliqua oblata conturbantur, vel necessaria de duobus honestis propositis deliberatione in contrarias sententias distrahuntur. At egregius puer pro ea, quae ipsius erat judicii vis acute distinguendi, quid interesset inter obtemperantiam et indulgentiam, quid inter veram et vitiosam imitandi rationem, tantum abfuit, ut judicii errorem in se admitteret, ut id tantum curaret, ne harum rerum usum non faciens animi ingrati et parum obedientis suspicionem moveret. Quare quum neque verborum lusu posset efficere, ut in aliam sententiam deduceretur Astyages, sed hic potius nunc causam gravioris momenti adderet, monens, ipsi saltem carne vescendum esse, ut aliquando juvenis validior domum rediret, *) intellexit, sibi, nisi pertinacior videri vellet, jam aliquo saltem modo obtemperandum esse. Quare ipse lepidissime quaerit ex avo, num sibi liceat, pro arbitrio hac magna carnium copia uti. Quod cum Astyages ei permisisset, statim, quo animo grato esse gaudeat, hac re ostendit, quod illa venia ita utebatur, ut omnem carnium vim inter regis famulos distribueret, huic, quia se equitandi artem doceret, illi, quia sibi jaculum dono dedisset, alii, quod avo bene ministraret, alii, quod matrem ipsius magni haberet. Simili modo mox etiam optimam imitandi aliorumque exempla sequendi rationem ostendit eo, quod admodum scite et callide vini usum detrectavit. **) Nam Sacae pincernae munere aliquando fungendi veniam nactus rem ita bene exegit, ut ipso Saca melius se eam exegisse contenderet, quia non aeque atque hic vinum degustasset. Interrogatus autem, cur hoc facere omiserit, acute respondit, sibi venenum in cratere mixtum esse videri. Quo quidem dicto innuit, se cavere velle, cujus rei nuper testis fuerat. Viderat enim, quum regis dies natalis epulo magnifico celebraretur, convivas nimio vini usu eo deductos, ut mentis non essent compotes. Quod igitur in proposito suo susceptoque consilio modice vivendi constanter permaneat, studet argumentis expositis excusare, simulque lepidis facetiis cavere, ne favore excidat. Avus autem seriore tempore satis intelligens, quam plane alienam ad alliciendum ac retinendum nepotem iniisset rationem, paullo post diversa ac contraria ratione uti jam tutius judicavit, sanctissime puero pollicitus, in posterum ipsi licitum fore, pro arbitrio delectari victu tenui. ***) Sic igitur, quam continentiam in omni victu cultuque hactenus bonae quidem et lau-

*) Cyrop. I, 3, §. 6—7. **) I, 3, §. 8—11. ***) I, 3, §. 14.

dandae consuetudini ex puerili institutione acceptam habebat, ea jam, ubi puer ne maximis quidem illecebris se irretiri passus ex causis honestissimis retinuerat eam et servaverat, in splendidissimam et nunquam satis celebrandam temperantiae virtutem abiit.

Neque vero illud fuit unum periculum, in quod incidebat Cyrus puer, sed aliae quoque erant corruptelarum illecebrae, quibus haud minus feliciter ei contigit resistere. Quam facile enim fieri solet, ut puer tanta ingenii excellentia praeditus, tantis laudibus continuo ornatus mox superbia intumescat, atque ita insolenter se jactet, ut non solum eos, quos se inferiores cernit, sed etiam aequales suos vel despiciat, vel iis durius imperare audeat, superioribus autem se exaequet, et aut, quod precibus eum impetrare decebat, fronte audaci postulet, aut praecepta sapientiorum negligat, omnemque obedientiam servitium turpe aestimet. Quorum omnium vitiorum nihil cernitis in Cyro puero. Quanquam enim ita excellebat ingenio, ut paene nemo eum superaret, pauci pares essent, quanquam rex ac principes eum summo amore amplectebantur, maximoque in honore habebant, caeteri autem saepius omni laude eum cumulabant, tamen neque unquam insolenter se jactavit, neque ullo modo commisit, ut adspectu jucundissimam illam omnibusque bonis maxime probatam juventutis ornatricem et commendatricem — modestiam — exueret. *) Quam enim haec virtus in eo fuerit conspicua, ex eo loco maxime intelligimus, ubi Xenophon insignem hujus virtutis quasi faciem nobis depingere voluisse videtur, dum Cyrum defendere studet a reprehensione quadam, in quam ea libere loquendi facultas, qua utebatur, facile incidere poterat. Dicit enim, **) quemadmodum in adolescentium corporibus, quae celeriter ad proceritatem quandam pervenerint, tamen juvenile quiddam appareat, quod aetatem minorem prodat, sic ex Cyri facili loquendi usu et consuetudine non audaciam, sed simplicitatem quandam et benevolentiae studium pelluxisse, ita ut quisque mirifice delectatus fuerit ejus sermonibus, eumque maluerit audire loquentem, quam ei adesse tacenti.

Ad hanc virtutem alia huic cognata et arctissimo vinculo cum ea conjuncta accessit, verecundiam dico, illam maxime amabilem omnium virtutum praeclararum comitem et adjutricem; in quibus quidem ambabus virtutibus colendis maxime adjutus est summa illa prudentia, quae ei inerat, quaeque actionum dux et moderatrix esse perhibetur. Quotusquisque enim est, qui, ubi sibi omnia ex votis cedere suisque precibus facile adnui viderit, ita sibi temperet, ut nunquam aut imprudenter et temere, aut arroganter et importune

*) Cyrop. I, 4, §. 3. **) I, 4, §. 3.

preces faciat? Cyrus autem, licet sciret, quanti ab Astyage haberetur, quantumque rogando apud eum valeret, licet ipsius ambitioni et honoris cupiditati, acrique studio illi, quo omnibus gratificari, aliorumque commodis benigne inservire gaudebat, id maxime blandiretur, quod a viris honestissimis saepius rogabatur, ut pro ipsis apud Astyagen intercederet, *) nunquam tamen in rogando a solita verecundia recessit. Preces igitur aut sermonis festivitatibus ingenuisque salibus, quibus abundabat, prudenter condire solebat, aut opportunum tempus modeste exspectabat. **)

Quid denique dicam de grato illo animo, quo omnem artem, virtutem, laudem qua insignis esset, educatori suo, monitori, praeceptori acceptam referebat? ***) Quid de caeteris ejus virtutibus, de jucunda illa animi mollitie et pia sollicitudine, qua avum aegrotum curabat, ****) quid de comitate, et amicitia, qua in omnibus rebus aequales amplectebatur? †) Quid plura? Talem se gessit Cyrus, ut superioribus modestia, aequalibus suavitate, omnibus humanitate esset jucundissimus. ††)

At vero forsitan Vobis videor nimis laudare Cyrum puerum, et talem exhibere, qualem fuisse vix credibile sit. Necesse igitur est, ut eum in se habuisse quoque, quod reprehendi debuerit, concedam: nec est, quod hoc taceam. Sed etiam tum timeo, ut verum prodere credar, quum, quaecunque in eo reprehendenda erant, essent talia, qualia in bono puero esse solent, ut non tam labem adspergerent, quam, ut in pictura, quasi umbram adderent luci. Namque nihil fere aliud, nisi nimium excellendi studium, et ea, quae inde proficiscitur, nimia audacia in periculis subeundis fuit id, quod nonnunquam reprehensioni locum dedit. †††) Jam vero, ubi sic vituperandus fuerat, quantis virtutibus statim aequabat talia delicta! Licet enim omnis vituperatio hunc puerum honoris et ambitionis cupidissimum vehementer pungeret, tamen praeterquam quod tristi animo et moesto vultu culpae conscium minime dedecente adstabat, nunquam aegre ferebat monitorem, nedum interpellabat vel obstrepebat ei, sed potius tacens increpationes patienti animo audiebat, subitoque resipiscens promtissimam obedientiam praestabat, imo vero poenas ipse sibi expostulabat. ††††) Quid? quod ipse laeto gratoque animo memoriam prioris poenae repetit? Narrat enim ingenue, se olim, quum domestica institutione uteretur, castigatum esse a praeceptore, quoniam, ubi ipsi jus dicendum fuerat, non recte dijudicasset, eamque ob rem laudat magistrum, quippe a quo hoc modo ad-

*) Cyrop. I, 4, §. 1. **) I, 4, §. 5. 9. 10. 13. 14. ***) I, 3, §. 16 et 4, §. 7. ****) I, 4, §. 2. †) I, 4, §. 1. ††) I, 4, §. 2. 4. 6. †††) I, 4, §. 8. 9. 10. ††††) I, 4, §. 9.

monitus, quid justum injustumve sit, optime didicerit. *) Qua quidem cum animi aequitate saepe etiam magnam animi conjungebat hilaritatem et ingenuam vituperationis in laudem sui convertendae artem, **) qua, quum impediret, quominus iis, qui ejus monendi curam gerebant, molestia ex hac re crearetur, simul id inde sibi ipsi paravit commodi, ut hi et libentius eum docerent, et, si quae reprehendenda erant, mitius animadverterent.

Sed quid mirum, eum tam raro aliquid deliquisse, quum ei virtuti operam daret, quae omnium virtutum domina et regina appellari meretur, quum eadem sola omnis verae virtutis ac pietatis ipsa genitrix et fons perennis sit, ita, ut ea absente nulla alia, quaecunque sit, virtus satis firma et constans haberi possit? Est ea autem haec virtus, qua quis sui ipsius fit attentissimus observator suorumque consiliorum omnium et factorum justissimus arbiter et severissimus censor. Talem cernitis Cyrum, qui, quum antea aegre tulisset, quod Sacas pincerna ipsi aditum ad avum interdum denegaverat, postea ipse sibi hanc legem rarius adeundi avum imponeret; ***) qui, quum antea loquacior esset, mox verbis magis parceret, ita, ut cum senioribus conveniens, ubi esset dicendum, saepe erubesceret; †) qui idem, quum hac in re ita se mutatum observasset, ut res in vitium verteretur, iterum animum sibi adderet, et sic justam temperiem adscisceret. ††)

Habetis jam Cyri pueri virtutum imaginem absolutam, ita, ut, quod addam, non habeam. Quae quum ipsa loqui et adhortari ad se imitandam videatur, vix est, quod moneam ego, ut hac quoque in causa exemplum Vobis propositum sequamini. Nonne enim haec omnis virtutum series etiam ad Vestras rationes ita pertinet, ut nemo unam earum in Vobis desiderari velit, quum omnes adolescentiam quam maxime ornent, per easque facillime apud omnes gratia ineatur? Nonne eaedem tales sunt, quas qui bene excoluerit adolescens, idem certissimam spem de se excitet, fore, ut aliquando bonus vir et egregius civis evadat? Quare quum hae virtutes ipsae et per se et ab hoc exemplo vivido habeant magnam commendationem, hujus loci non esse videtur, ut longus sim in adhortando. Paucissimis igitur tantum verbis Vos monitos volo, ut cogitetis, nemini magis, quam ei, qui literarum studia tractet, fugiendam esse omnem in cibo potuque intemperantiam, utpote et sanitati maxime nocentem, et ipsa ingenii studia impedientem, id quod Vos docent proverbia, quae sanam mentem facillime habitare in sano corpore †††), et pinguem

---

*) Cyrop. I, 3, §. 16 et 17. **) I, 4, §. 9. 10. ***) I, 3, §. 11 coll. cum 4, §. 6, †) I, 4, §. 4. ††) I, 4, §. 12. †††) Juvenal. Sat. X, 356.

ventrem non gignere sensum tenuem contendunt.*) Neque decet nimia corporis delectatio eum, qui liberalioribus animi oblectationibus gaudet. Itaque jubeo Vos elegantissimis Ciceronis verbis **) potius curare, ut semper „animum habeatis saturatum bonarum cogitationum epulis.“ Quid vero dicam de modestia, quum bene sciatis, doctissimum quemque esse debere modestissimum, ita ut, nisi modestissimos Vos praestetis, justa dubitandi causa sit, an vere docti sitis? Ut denique verbum addam de obsequio facile praestando, in pectus Vestrum demittite et animo saepe volvite illud, quod Persarum disciplina tenebat, (Cyrop. I, 2, §. 5 et 6, §. 20.) neminem, nisi qui recte didicerit obtemperare, aliquando eo perventurum esse, ut alios bene regat et gubernet.

At vero quantacunque haec ingenii praestantissimi, et studii flagrantissimi, et morum optimorum fuerit laus ac praedicatio, qua hactenus Cyrum puerum ornandum esse vidimus, tamen nondum ad hujus laudis perfectionem nos pervenisse, inde jam facile concludetis, quod in prima oratione spopondi, Vos in ejusdem institutione omnes ac singulas Vestrae vitae scholasticae partes adumbratas conspecturos esse, ita ut in hac laude acquiescere etiamsi velletis, tamen non possetis. Nam quod valet de hac vita universa, quae saepe merito majoris scholae nomine appellatur, ut ex notissimo illo Solonis ad Croesum dicto nemo ante obitum beatus praedicari possit, idem ad Vos pertinet, quamdiu in hac scholae minoris vita versamini, ubi nemo prius, quam extremus dies, quo totius vitae scholasticae ratio reddenda est, praeterierit, recte et satis juste praedicari, ac certa laude, qua dignus sit, ornari potest. Namque in hoc demum examine, quod iis, qui discessum a schola parant, subeundum est, apparet, quos quisque in omnibus doctrinis et artibus, quosque in moribus profectus fecerit, quarum rerum testimonium certissimum exhibent omnibus, qui cognoscere velint, illae literae, quas discedentibus porrigimus. Xenophontem igitur, quasi divinatione quadam praesagivisset, quid, si nulla similis rei in institutione Cyri mentio facta esset, desideraturi essemus, etiam his nostris votis ad absolvendam nostram comparationem satisfacere voluisse haud multum abest, quin credamus. Namque eodem modo Cyro quoque, priusquam veniam ex hac institutione discedendi acciperet, inque juvenum ordinem posset recipi, quasi extremum examen coram testibus gravissimis subeundum fuit, ut appareret, quem usum omnium, quas didicerat, artium facere posset. Hac igitur demum re exposita videbitur extrema manus imagini esse imposita, ita, ut tum perfecta suisque numeris absoluta haberi possit.

*) Παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν οὐ τίκτει νόον. **) Cic. de divin. I, 29, sic vertens e Plat. rep. IX, ab init.

Recordamini enim, supra a me commemoratum esse, omne apud Medos in venationis artibus addiscendis consilium id fuisse, ut hac re rite praepararent pugnae committendae artem, vel omnino belli gerendi scientiam. Quum igitur Cyrus in illis omnibus venandi artibus ita excelleret, ut nihil, quod melius exerceret, discendoque adderet, reliquum fecisse videretur, hoc tantum restabat, ut, quomodo illas artes ad belli usum adhibere posset, prima quaque proelii occasione ostenderet. Namque tum demum, si ex bello reportasset victoriam aliquam, in cujus finem omnes illae exercitationes institutae fuerant, poterat tandem satis probatus haberi.

Jam, quae magnis virtutibus et ingeniis praeclaris esse solet felicitas, ut fortuna in eorundem societatem quandam veniat, hoc contigit etiam Cyro, ut non diu ipsi exspectanda esset talis occasionis opportunitas, quam, simulac sibi oblatam cognoverat, puer cupidine majorum rerum gerendarum flagrans avidissime arripuit. Nam quum aetatem fere quindecim vel sexdecim annorum attigisset, accidit, ut filius vicini regis Assyriorum venandi causa in Medorum terram incursionem faceret. *) Quo nuntio accepto Astyages eo contendit, hostique copias opposuit. Ecce subito Cyrus, sua sponte subsequutus, equo advehitur! Ac vix hostes conspexerat, quum prudentissimum eos adgrediendi consilium aperuit, quo avus pueri et prudentiam et animum ad omnes res attentissimum miratus statim ita usus est, ut acie sic instructa signum daret. **) Cyrus autem consilii prudentiam mox superavit tanta fortis animi atque imperterriti constantia, ut non modo hostes in fugam conjiceret, sed Cyaxari quoque caeterisque ducibus segnioribus animum adderet, eosque ad hostem persequendum impelleret. Quid tum Astyages? Primo haesitare, utrum puerum prudentissimum fortissimumque laudaret, an reprehenderet audacissimum; mox tamen, quum gloriosam hanc victoriam soli Cyro deberi intelligeret, non potuit, quin eum, quem hactenus dilexerat et in honore habuerat, jam summa admiratione dignum censeret. Quid caeteri? Omnes Cyrum in ore habebant, carminibusque celebrabant. Pater autem Cambyses, cui, ubi de his rebus certior factus erat, puer jam viri facta edere videbatur, tempus praeparationi datum ita bene eum collocasse judicavit, ut non dubitaret, revocare eum ad juvenis officia ex patrio more exsequenda. Hinc factum est, ut Cyrus summa laude ornatus et donis decoratus amplissimis ab Astyage dimitteretur. ***)

Sic Vobis quoque omnibus, Commilitones Optimi, instat talis quasi pugnae subeundae necessitas; erit, erit illud profecto extremum vitae scholasticae tempus,

*) Cyrop. I, 4, §. 16. **) I, 4, §. 18—20. ***) I, 4, §. 21—25.

et illucescet aliquando ille dies, quo documentis editis testatum facere debebitis, Vos, quaecunque hactenus Vobis tradita sint, et bene didicisse, et scitum eorum usum posse facere. Proponuntur ibi Vobis prima luce instar illorum hostium devincendorum pensa omnibus ingenii viribus adgredienda, urgenda, vincenda; quibus vix conspectis statim propter temporis concessi angustias Vobis promto animo rectum consilium, quomodo invadenda sint ea, est capiendum. Tum in charta proposita aperitur Vobis campus, ubi, sicut illic copiae armatae instruendae erant, sic hic sententiarum ordines ac vocabulorum copias recte disponatis. Hac autem pugna quasi eminus facta mox res eo perveniet, ut veluti cominus Vobis pugnandum sit. Ubi enim ore instituitur examen, singulae quaestiones nunc ex mathematicis latebris prorumpunt, nunc ex historiae silvis proruunt, nunc ex grammaticae vallis et moenibus impetum faciunt; deinde vero veteres scriptores tanquam duces peritissimi sententiarum suarum ordines optime instructos producunt, qui a Vobis dissolvendi, vincendi, capiendi sunt. Ac sicut Cyro puero adfuerunt testes atque observatores Astyages rex, ejusque filius Cyaxares, caeterique Medorum principes exercitusque duces, sic Vos quoque habetis hujus certaminis gravissimos testes atque observatores, Virum summe Venerandum, cui, ut Regis nomine praesens sit, officium commissum est, Virum maxime Reverendum, summum scholae Patronum Capitularem, denique exercitus scholastici duces, i. e. praeceptores Vestros. Agite igitur, ut pariter, ac Cyrus, Vestris his testibus probemini; agite, ut ex literis a Vobis exhibitis statim eluceat, quam recte judicaveritis de pensorum propositorum consilio ac fine, quam acute vitaveritis omnes viarum ambages, quam scite et prudenter profligaritis loca periculosa, quam bene ornatas ac justo ordine incedentes produxeritis singulas voces, quam recte disposueritis et explicueritis omnes Vestrarum sententiarum ordines; ostendite, quam paratas habeatis omnes singularum doctrinarum copias, ita, ut, ubicunque exigantur, statim in promptu sint, quas in apertum campum producatis.

Quodsi nobis licuerit, Vobis perinde atque Cyro non modo honorificam a schola abeundi veniam concedere, sed etiam Vos ornare salutari illa apud Romanos litera, seu, qui usus apud nos valet, numero primario, quo Vos ad studia altiora tractanda prae caeteris aptos et accommodatos profitemur, magna ex hoc secundo rerum Vestrarum exitu nobis enascetur voluptas atque laetitia. Haec autem egregia et illustris laus Vestra in ore erit, si non omnium, at certe eorum, in quorum ore ut sit, Vestra quam maxime interest, i. e. nunc quidem scholae patronorum, praeceptorum, commilitonum, parentum, amicorum, omnium omnino vel Vobis vel rei scholasticae faventium, mox autem

academici senatus, olim denique omnium magistratuum superiorum, penes quos est, Vos gradatim ad honores attollere, Vobisque publica munera deferre. Ac sicut Cyrum discedentem omnes aequales, viri, senes cum ipso Astyage prosequuti sunt, *) ita nos quoque Vos piis votis et tenerrimi amoris memoria prosequemur. Tum autem Vobis continget idem, quod Cyro contigit, quem domi aequales et amici, quum reducem eum pristina modestia et temperantia adhuc ornatum, multis vero novis virtutibus et artibus auctum cognovissent, tanto amplexi sunt amore, ut pristino erga Cyrum studio non modo nihil detractum, sed etiam multum insuper additum esse videretur. **)

Jam vero, quum hoc modo Cyrum domum prosequuti simus, eo tandem nos pervenisse videtis, unde sumus digressi. Ita igitur tota imaginis descriptione, quam Vobis spoponderam, absoluta non dubito, quin Vobis Cyrus puer, quantam in prima imaginis adumbratione concitaverat exspectationem sui vel ingenii vel animi, tantam non modo continuo sustinuisse ac tuitus esse, sed in pluribus rebus etiam superasse videatur. Quare quum id, quod mihi in optatis fuit, jam sperare liceat, Vos praeclari hujus pueri memoriam ita conservaturos esse, ut flagrantissimo et diligentiae et virtutis studio Vos ei quam simillimos praestare conemini, finem orationi meae imponendum esse censerem, nisi perorandi officium superesset, quo haud scio an ullo modo aptius fungi possim, quam si Cyri partes hactenus Vobis traditas jam ipse suscipiam. Ita simul facillime ea agendi ratio, quam Cyrus iniit, adaptabitur summo hujus orationis consilio ac fini, examinis solennia per eam inaugurandi.

Cyrus enim, quum Astyage mortuo bellum ab Assyriis moveretur contra Medos, dux factus est copiarum auxiliarium, quas Persae Medis mittere decreverant. ***) Quod imperium quum accepisset, ad ducentos, quos sibi elegerat, duces nobiles orationem habuit, qua eos ad certamen forti animo subeundum exhortaretur. †) En similem nostram rationem! Ego quoque quasi dux factus sum Vobis, qui estis copiae olim civitati subsidio mittendae, cui per munera a Vobis sancta fide administrata ex scientia Vestra redundet utilitas, ex virtute auxilia parentur. Jam licet dispar sit ratio, quod illis tum pugna instabat cruenta et hostilis, Vobis autem nunc pugna ineunda est literaria et quasi pacata, in eo tamen haud dispar est, quod et Vobis aeque, atque illis id faciendum erat, omni opera est cavendum, ne, si lasso animo pugnaveritis, etiam priorum laborum ac studiorum fructu privemini. Quare facillima mihi erit Cyri imitatio, quum, quibus argumentis usus est ad animos ducum fortitudine et fiducia im-

*) Cyrop. I, 4, §. 25—26. **) I, 5, §. 1. ***) I, 5, §. 2—5. †) I, 5, §. 7—14.

plendos, eadem aptissima esse videantur, quae Vos ad hanc longe laetiorem et honestiorem pugnam firmo animo et stabili fiducia ineundam incitare possint.

Prorsus enim eodem modo primum Vos quoque puto, et virium Vestrarum atque facultatum, et Vestrae diligentiae ac studii conscios, laeta cum spe hanc pugnam inituros esse. Deinde, quum Vos et laudis studiosissimos esse mihi persuasum sit, et bene cognitum habeam gratum Vestrum ac benevolum in nos animum, qui non patietur, ut nos optima spe in Vobis posita ulla in re fallamur, aeque ac Cyrus ego quoque confido, Vos maxima cum virium animique contentione nisuros esse, ut laudem mereatis. Postremo autem, quum Cyrus contendat, duces certissimam prosperi successus spem concipere posse ex eo, quod, quemadmodum nullam omnino rem adgredi solitus sit unquam, nisi dei consilio antea explorato et auxilio implorato, ita hanc quoque expeditionem nonnisi re divina rite facta susceperit ac paraverit, facile intelligetis, Vos, quum eadem sit nostra pia consuetudo, in eadem re summam collocare posse fiduciam. Quemadmodum enim ad primam uniuscujusque diei horam eodem hoc loco solenni carminis sacri cantu et precibus ore factis animi nostri pios sensus prodimus, Deoque optimo et summo omnium mortalium patri gratias agimus, quod nos cunctos a tenebrarum periculis benigne tuitus sit, eundemque rogamus, ut omnem studiorum nostrorum rationem fortunare et cujusque virtutis studium felici successu velit augere, ita etiam hodierno die hujus solennitatis initium rite a Deo fecimus, quem integra mente venerari quamvis aetatem, puerilem et juvenilem aeque ac virilem et senilem, maxime decet. Quare laudabilem hanc consuetudinem ut nullo unquam tempore intermittatis, pro meo erga Vos amore iterum atque iterum rogatos Vos volo.

Denique Deus O. M. faxit, ut ex hoc certamine, in quod jam descenditis, insigni laude aucti ac honorifico studii frugiferi praemio ornati discedatis, ex eaque re in omne futurum tempus acquiratis novum omnis scientiae omnisque virtutis incitamentum.

NACHRICHTEN

ÜBER

DAS DOM-GYMNASIUM ZU MERSEBURG VON OSTERN 1831 BIS OSTERN 1832.

A. Lehrverfassung.

I. In Prima wurde in 32 wöchentlichen Lectionen der Unterricht von 5 Lehrern besorgt:

1) Lateinische Sprache. 2 St. Horat. Od. II—IV, 2. 2 St. Cic. de orat II, 30 bis Ende. 3 St. Correctur lateinischer Ausarbeitungen und Scripta, nebst Uebungen im Disputiren: Rect. Profess. Wieck, als Ordinarius der Klasse. — 2 St. mit Secunda combinirt: Virg. Aen. V et VI: Conrect. Profess. Landvoigt. — 1 St. Extemporale: Subrector M. Haun.

2) Griechische Sprache. 2 St. Sophocl. Electra 600 bis Ende und Oedip. Tyrann. 1—650. 2 St. Platon. Alcibiad. 20 bis Ende und Criton, Apolog., Charmides, 1—6. Von diesen 4 Stunden ward wöchentlich 1 Stunde auf cursorische Lectüre des Homer (Iliad. XII—XX.) gewendet: Rect. Prof Wieck. — 1 St. griechische Correctur: Rect. Profess. Wieck.

3) Hebräische Sprache. 2 St. Einübung der Grammatik mit Uebersetzungsübungen aus dem N. T., und Lectüre des Buchs Josua: Rect. Profess. Wieck.

4) Deutsche Sprache. 2 St. Correctur der freien Ausarbeitungen. 1 St. Geschichte der deutschen Literatur, nach Koberstein: Conrect. Profess. Landvoigt.

5) Französische Sprache. 2 St. Stylübung und Lectüre des Handbuchs von Ideler und Nolte (Thomas éloge de Marc-Aurèle. Voltaire Jeannot et Colin. Florian Sélico.) Mathematikus Tenner.

6) Religionslehre. 2 St. mit Secunda combinirt, nach Niemeyers Lehrbuch; im Sommer: 4ter Abschnitt, christliche Sittenlehre, im Winter: 1ster Abschnitt, histor. prakt. Einleitung in die biblischen Schriften: Domdiaconus Eylau.

7) Geschichte. 2. St. Vom Jahre 1789 bis auf die neueste Zeit, nach Kohlrausch synchronist. Tabellen: Rect. Profess. Wieck.

8) Mathematik und Physik. Im Sommer: 4 St. Wiederholung der wichtigsten Sätze der Stereometrie; Die Parabel; nach Matthias. Im Winter: 4 St. 1) die mathematische